



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

LII. CHRISTOPHORVS III. eb7. Febr. an. 1618. præf. solummodo mens. octo cum dimidio. ob. 9. Septemb.

LIII. GEORGIVS, modernus Abbas, el. die nona Octobr. an. 1618.

WELTENBURG.

DE fundatione huius Monasterij Ordinis S. Benedicti scribit Ioan: Auent. lib. 3. fol. 265. q. tempore Theodonis Ducis Bauariæ, qui cū filio Theodoperto à Diuo Ruperto Reginoburgij aqua cælesti lustratus est, post extructa templam Reginoburdij, quàm Vrini, Christo Deo atque eius Genitrici dicata, et que à Diuo Ruperto consecrata (vtrumque adhuc *Ædicula* seu *Capella* vetus vocatur) post hæc per omnes Boiorum regiones, sacræ ædes passim ædificatæ sunt, à Diuo Ruperto & sociis consecratæ, vt *Weltenburgij*, quod ipse *Valentiam* vocat, & extra mœnia *Reginoburgen. S. Georgio*, Tutelari Christianorum Militum Diuo. quædam *S. Martino Maximiliano*que, templa dicata, quæ adhuc monstrantur.

Alibi idem Auent. lib. 6. fol. 614. scribit, Eodem etiam tempore Hardouicus Episcopus Reginoburgenfis Valentiam, hoc est *Weltenburg*, templum Diuo Georgio dicatum, pulsus Monachis Benedictinis tradit. Augustalibus flaminibus, hoc est, Canonicis regularibus D. Augustini, accito Hardouico eius ordinis ex Norico de æde Diui Floriani, id est, ex Monasterio S. Floriani in Austria, supra Anasum. Conradus idem Episcopus Reginoburgenfis, quinque post annos Monachos Benedictinos rursus restituit, ipsisque Fridericum præfecit. Monasterium hoc Danubio septum, quinque millia passuum infra *Abensperg*; ibi *Cineres Artobrigæ*, quæ teste Ptolomæo, caput olim *Vindelicorum* fuit, monstrantur. De quo Auent. in secundo & tercio libro *Annalium* latius scripsit.

ADDITIONES.

QVam clara ab antiquissimis olim temporibus fuerint hæc *Vindelici* ad *Boiariam* nunc spectantia loca, & *Romanis* minimè incognita ex delineatione nostra *Veteris Norici*, & subiuncto huic *Nomenclatore* in verb. *Artobriga* & verb. *Vitellij* vadum lector cognoscat.

Ad Monasterium *Weltenburgum* quod attinet monumentum illud post se reliquisse *Thestalonum I. D. Ruperti* tempore an. Christi 775. tradit *Appian.* in *Chorograph.* *Bauar.* *Hundius* veriora certioraque secutus *Theodoni III. Duci*, qui cum filio *Theodoperto* & provincialibus à *D. Ruperto Ratisbonæ* aqua cælesti lustratus est, fundationem huius aliceterij transcribit.

Sequentis *Diplomatis* originale vel propter solum antiquitatis aspectum veneratione dignum mihi exhibuit & describendum dedit *Admodum Reuerend^o Domnus MELCHIOR* . . . modernus Abbas huius loci, vir à singulari humanitate commendandus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Heinricus* diuina fauente clementia Rex. Nouerint omnes Christi nostrique fideles tam. futuri quam. præsentis, qualiter nos pro pij genitoris nostri felicitatis memorie *Churnradi* Imperatoris Augusti nostræque animæ remedio *Weltenburgensis* Ecclesiæ Abbati nomine *Buolo* suisque successoribus quoddam nostri iuris prædiū *Bozinrianch* dictum

dictum in pago *Chelsgouue* in comitatu *Otonis* Comitis situm cum omni pertinentia seu utilitatibus in sylua, quibus ipsi Ecclesie indiget in proprium tradidimus, cum terris, cultis & incultis, quasitis & inquirendis, seu cum omni utilitate quae ullo modo inde poterit prouenire. Eo nimirum tenore ut praescriptus Abbas *Buolo* sui que successores de eodem praedio liberam, deinceps habeant potestatem tenendi, commutandi, vel quicquid sibi placuerit inde faciendi, ad utilitatem scilicet praetitulatae Ecclesiae in honorem sancti *Georgij* martyris constructae. Et ut haec nostra traditionis auctoritas per succedentia tempora stabilis & inconuulsa permaneat, hoc praecipuum inde conscriptum manuque propria corroboratum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini *Henrici* tertij regis inuictissimi:



Theodoricus Cancellarius vice *Bardonis* archicancellarij recognouit.

Data Id. Ianuar. Indiict. viii. anno Dominicae incarnationis Millesimo Quadragesimo. Anno autem Domini *Henrici* tertij ordinationis xii. regni vero Actum *Augusta* feliciter, Amen.

Catalogus Abbatum huius Monasterij quamuis non omnibus suis numeris absolutus.

- I. VISVNDVS primus abbas, el. ann. 80. quanto autem tempore praefuerit, non constar.
- II. ISINGRINVS circ. an. 80. & 95.
- III. ARNOLPHVS abbas, an. 607.
- IV. BERCHTOLDVS, an. 626.
- V. IVOTA, an. 634.
- VI. MATHILDVS, an. 648.
- VII. POPPO abbas, an. 666.
- VIII. RVDHARDVS abbas, an. 672.
- IX. TVTO abbas, an. 679.
- X. HAGANO, an. 693.
- XI. GEBERTVS, an. 699.
- XII. HVGO, an. 709.
- XIII. REMPERTVS abbas, an. 712.
- XIV. HERIBATO, an. 720.
- XV. GOTSCALCVS an. 729.
- XVI. BONIFACIVS, an. 739.
- XVII. SAGIDVS, an. 741.
- XVIII. ADALWARTVS abbas an. 747.
- XIX. REGINHARDVS an. 760.
- XX. WIGMANDVS an. 777.
- XXI. DEDALRICVS an. 789.

Metrop. Salub. Tom. III.